

9  
ipforum habitet, ceu fontem omnis impuritatis effundere  
subinde malas cogitationes, motus pravos & inclinationes  
cum lege Dei pugnantes; ac externa quoque parere pecca-  
ta, quæ verbis gestibus & operibus externis committantur.  
Opus igitur esse, ut verâ fide perfectissimam Christi mundi-  
tiam in verbo Evangelii oblatam amplectantur, eamque sibi  
applicent, ac præterea residuas illas peccatorum sordes depo-  
nant, *carnemque cum affectibus & concupiscentiis crucifigant* Gal.  
V. v. 24. ut adeo non solum imputativè sed etiam inchoati-  
vè mundi sint.

### VI.

Nec est cur quis objiciat, Apostolum hic agere de il-  
lis, qui jam sint justificati ut ipsi §. IV. asseruerimus, non igitur  
h. l. talem posse intelligi mundationem, quæ per fiducialem  
apprehensionem munditiei Christi fiat. Non est, inquam,  
cur quis hoc objiciat. Quia enim etiam justificati quoti-  
die peccant, quotidie quoque peccatorum remissio eis est  
necessaria. Unde Johannes Apoc. XXII. II. dicit: *ὁ δίκαιος  
δικαιωθήτω ἔτι* *Qui justus est, justificetur adhuc.* Justificatio  
nostra non quidem augetur indies, (sicut sanctificatio,) sed  
innovatur indies. Et fides justificans non tantum in primo  
momento nostræ cum Deo reconciliationis, imputatur ho-  
mini ad justitiam, (quasi postea non amplius ad justitiam  
imputetur) sed semper & quotidie, præsertim quando justi-  
ficam suam *ἐνεργίαν* nempe fidelem intuitum in promissio-  
nem ac Christum actu exerit. Rom. IV. 3. vid. B. D. Æg. Hunnig  
Tom. IV. Op. Lat. p. 44. B. D. Hoe Comment. in Apoc. Lib.  
VIII. ad Cap. XXII. Part. II. Scrup. V. p. m. 397. c. 2. & seqq.  
B. D. Gerhard, Loc. Theol. Tom. III. de Justificat. p. m. 176.

### VII.

Quæritur autem hic: utrum Renati ex propriis & natu-  
B  
ralibus